



Simon Eccius natus est honestis parentibus in Suevia, sub ditione Augustani Episcopi, mense Octob. anno 1514. Is cum felici ingenio frueretur, a pueris literas amauit, atque liberales artes magna diligentia didicit. Habebat Simon fratrem Ioannem Ecckium doctissimum Theologum, qui Ingolstadij sacras literas enarrabat, ab eo adiutus ad uarias academias accessit, & Iurisprudentiae operam dedidit. Cum etiam aliquoties fratratis nomine ad principes legatus mitteretur, atque eius libros & lucubrations offerret, in multorum illustrium virorum notitiam peruenit. Hoc modo cum feliciter pergeret, et domestico exemplo incitatus egregiam sibi eruditionem compararet, tandem solenni pompa 1538 Ingolstadij Legum Doctor creatus fuit. Accedebat etiam uitae integritas, prudentia rara, & naturalis quendam facundia. Itaque primò Viennenensis Officialis constituitur. In eo loco cum per biennium uixisset, fratratis opera honestam uxorem duxit, & in Bauaria magna solennitate nuptias celebrauit, quibus etiam Albertus Bauariæ, & Ulricus Megapolensis duces interfuerent. Cum autem Ernestus Bauariæ dux, & Salisburgensis Archiepiscopus huius Simonis uirtutes perspexisset, eum inter consiliarios suscepit, & res plurimas suo nomine expedire iussit. Postea quoque Burghusij in dualem senatum ascitus, res sibi commissas summa dexteritate peregit, atque Vilhelmo principi gratissimus fuit. idque eo tempore, cum Ioannes frater 1543, magno eius mærore, Ingolstadij uita fungeretur.